

SUPREMUM SIGNATURAEE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 12020/80 CG

N et NN

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

Incid.: *restitutionis in integrum adversus decretum rotale*

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

IOANNE PAULO II feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno V, die 16 octobris 1982, Eminentissimi Patres Cardinales, Paulus Bertoli, Sylvius Oddi, Humbertus Mozzoni, Petrus Palazzini, Conradus Bafile, Iosephus Schröffer, Bernardinus Gantin, Ernestus Civardi, Ladislaus Rubin et Exc.mus Aurelius Sabattani, *Pro-Praefectus et Ponens*, membra Supremi Signaturaee Apostolicae Tribunalis, in sede eiusdem S. Tribunalis legitime coadunati ad decidendum in causa N seu NN. Nullitatis matrimonii; Incid.: Restitutionis in integrum adversus decretum rotale; inter D.nam Y, partem conventam recurrentem, repraesentatam per procuratorem Adv. Carolum Tricerri, et D.nam XX, neptem defuncti actoris X, resistentem, repraesentatam per Adv.tum Laurentium Bucchi, intervenientibus in causa Rev. D. Dominico Semproni, Promotore Iustitiae deputato, necnon R. D. Iosepho Damizia et R. P. Xaverio Ochoa, C.M.F., Votantibus Huius Supremi Tribunalis, sequentem tulerunt definitivam sententiam.

I. SPECIES FACTI

1. Nulla prole recreatum fuit coniugium a X cum Y initum die 20 mensis iulii anni 1958 intra fines Dioecesis N, etsi per undecim annos convictus productus fuerit.

Dein, separatione inducta et ope legis firmata, vir, die 2 m. maii a. 1973, libellum obtulit Tribunal Z accusans nullitatem sui matrimonii ob exclusum a seipso bonum sacramenti. Sententia diei 27 m. iunii a. 1974 declaravit coniugii nullitatem.

Decisio oppugnata fuit, sive a Defensore Vinculi, sive a muliere conventa, apud S.R.Rotam, quae per decretum Turni c. R.P.D. De Iorio causam admisit ad ordinarium examen secundi gradus.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

2. Pendente lite in altero iurisdictionis gradu et peracta quoque causae instructione suppletiva, actor X e vivis sublatus est die 26 m. iulii a. 1977, paulo postquam XX, neptem ex sorore sua, heredem constituerat.

Neptis haeres instavit ut Tribunal causam prosequeretur usque ad sententiam definitivam. Exceptit pars conventa defectum legitimitatis activae D.nae XX ad causam. Quaestio incidentalis, ita exorta, disceptata fuit per memoralia et tandem, die 27 m. maii a. 1978, Turnus Rotalis decrevit agnoscendum esse D.nae XX ius prosequendi causam loco defuncti avunculi, tamquam eius heres.

3. Adversus huiusmodi decretum patronus mulieris conventae appellavit ad Turnum sequentem, excipientibus praejudicialiter Ponente prioris Turni, Defensore Vinculi et patrono partis atricis appellationem seu recursum, in casu, non dari.

Turnus c. R.P.D. Ewers, die 7 decembris 1979, decrevit: «a) ius esse parti conventae appellandi adversus Decretum Rotale diei 27 m. maii anni 1978, ideoque appellationem seu recursum esse admittendum; b) confirmandum esse Decretum Rotale diei 27 m. maii a. 1978, in casu, ideoque D.nae XX legitimatem activam competere ad prosequendam causam nullitatis matrimonii, de qua».

4. Non acquievit pars conventa dupli decisioni S. Romanae Rotae, sed, per suum patronum, recursu diei 8 februarii 1980, petiit a Nostro Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae restitutionem in integrum adversus alterum decretum Rotale.

Exquisita fuerunt vota R.D. Dominici Semproni, Promotoris Iustitiae deputati, et R.D. Iosephi Damizia, Votantis Huius Supremi Tribunalis, qui ambo steterunt pro reiectione «a limine» recursus propositi.

Reapse, in Congressu diei 12 decembris 1980 coram Praefecto Card. Pericle Felici, Signatura Apostolica decrevit: «Recursum non esse admittendum ad disceptionem coram Patribus Cardinalibus».

5. Adversus huiusmodi decretum, patronus recursum proposuit ad Collegium Iudicans: hoc evidenter erat in sua potestate.

In huiusmodi stadio processuali opportunum visum est exquirere novum votum «pro rei veritate». Quod munus commissum est R.P. Xaverio Ochoa, Votanti Signaturae Apostolicae, qui die 23 martii 1981, ita suum scriptum concludebat: «recursum patroni partis conventae diei 27 decembris 1980 ad Collegium Patrum Cardinalium esse fundatum, ideoque petitionem

restitutionis in integrum adversus decretum rotale diei 7 decembris 1979 esse admittendum ad disceptationem coram Patribus Cardinalibus».

Circa prolatum votum partes in causa suas deductiones protulerunt, et tandem, die 11 decembris 1981, dubium concordatum est sub hac formula:

1) «An admittendus sit ad disceptationem coram Patribus Cardinalibus recursus patroni partis conventae, quo petitur restitutio in integrum adversus decretum rotale diei 7 decembris 1979»; et quatenus affirmative:

2) «An concedenda sit, vel minus, restitutio in integrum relate ad idem decretum rotale».

II. IN IURE

6) *Prosecutio causae nullitatis matrimonii post mortem coniugis non contradicit generalibus iuris principiis*

Expresse iam declaratur in can. 1701: «actiones de statu personarum numquam exstinguuntur».

Curnam hoc eveniat, dilucide explicatur in una: «Incidentis de lite finita»: S.R. Rota, coram Jullien, Anno 1933, dec. I: «Nulla lege canonica statuitur, actionem contra matrimonii valorem ipsa morte coniugis alterutrius vel utriusque perimi (quemadmodum, v. g., statuitur in can. 1702 de actione criminali, quae morte rei perimitur).

Siquidem actione contra valorem matrimonii non petitur ut vinculum matrimoniale dissolvatur, sed ut iuridice declaretur an constet de nullitate huius vinculi, a die nempe quo celebratum est matrimonium: de qua facti quaestione, superveniens mors coniugis alterutrius vel utriusque nil mutat, quamvis morte dissolvatur vinculum ac plerumque coniux superstes aut heredes inutile prorsus existiment causam istam prosequi super anteacta exsistentia illius vinculi nunc dissoluti.

Haud sane semel apud N.S.T. contigit quod, coniuge mortuo, superstes de facto non prosecutus est causam; indeque acta, iussu Ponentis, in archivio deposita sunt: sed notetur, in eiusmodi casibus actio non dicenda est per mortem existincta. Praxis enim N.S.O. est tantum modus practicus litem interrumpendi, ac plerumque inniti videtur ipsi petitioni, saltem tacitae, alterius partis interesse habentis, vel certe eadem non reclamante; sed non imponit finem liti, quae non tantum ob novas nuptias contrahendas, verum etiam ad alios fines institui potuit.

Enimvero etiam post mortem coniugis vel coniugum, ius prosequendi immo introducendi causam circa valorem quem habuerit necne ab initio

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

matrimonium nunc morte dissolutum, in se remanet, cum interesse possit, et multum quidem, declaratio nullitatis matrimonii, puta, propter quaestionem legitimatis aut hereditatis» (S.R.R. Decisiones, Vol. XXXV, Anni 1933, 2).

7. Lex Ecclesiae et iurisprudentia canonica iam clare statuerunt quaenam personae possint seipsas substituere coniugi demortuo durante processu in prosecutione instantiae propositae ad petendam declarationem nullitatis matrimonii

Subiecta istius iuris ad reassumptionem causae sunt:

a) Coniugis defuncti heres (art. 222 Instructionis «Provida Mater» S.C. de disciplina Sacramentorum, 15 augusti 1936).

Adnotetur quo, relate ad causas in genere, can. 1733 statuit instantiam, mortua parte, posse continuari etiam a successore. At merito, in causis de statu personarum, haec possilitas restricta est ad heredem, quia non potest transmitti «ius vinculi», sed tantummodo positio in relatione processuali relate ad idem vinculum. Ideo, in casu, potius quam de «successione», aptius videtur loqui de «substitutione», quae, iuxta Roberti (*De processibus*, vol. I, 1941, 540), «habetur cum permittente lege, aliquis pars constituitur nomine proprio pro iure alieno».

b) Personae consanguineae vel affines coniugis defuncti, etsi non heredes strictu sensu, vel etiam extraneae, quando constat intercedere correlationem, eamque legitimam, inter ipsorum iura vel officia et declarationem nullitatis matrimonii.

Sub superiori formula comprehenduntur: ex. gr. filii illegitimi alterutrius coniugis (cfr. S.R.Rotae *Decisiones*, 7 aprilis 1956, coram Wynen); filii alterius matrimonii, cuius validitas pendet e nullitate prioris coniugii; ille qui futurus est heres praecise ex optata declaratione nullitatis, etc.

Et, quia «hereditatis appellatio continet etiam damnosam hereditatem» (Dig., lib. 50, tit. 16, fr. 119), aliquando parentibus conventi diligentioris agnatum fuit ius prosequendi causam nullitatis, actrice contra reclamante, ne ipsis occurreret officium, a lege tributum affinibus, alimenta nurui ministrandi (cfr. S.R.Rotae *Decisiones*, coram Sabattani, die 14 iulii 1961, Vol. LIII, pag. 379-380).

8. Insuper matrimonium, quod unica sententia iudicatum fuerit, potest denuo impugnari, si incidenter oritur quaestio

A) Haec thesis evidenter probata ex can. 1972: «Matrimonium, quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio».

Addi debet haec logica animadversio: si quis potest matrimonium numquam impetum impugnare, a fortiori valet quaestionem nullitatis alicuius matrimonii, iam pridem motam et unica sententia iudicatam, denuo suscitare. Adnotat Santoro R. (*L'impugnazione del matrimonio dopo la morte del coniuge*, Roma, 1943, pag. 149): «sarebbe strano che fosse negata, a chi ha già uno *ius proprium accusandi*, la facoltà di proseguire una causa già iniziata».

B) *Qualis beat esse sedes causae principalis, ex qua oritur, tamquam incidens, causa nullitatis matrimonii, disputatum est.*

a) Exstat quidem aliqua sententia Signaturae Apostolicae diei 3 iulii 1971, in qua hac de re disceptatur. In tali decisione declaratur, sine ambagibus, veterem doctrinam unanimiter admittere causam principalem posse agi quoque in foro civili.

Eadem sententia dein allegat contrarias inter se opiniones expressas a S. Romana Rota annis 1936 et 1938, et tandem proponit conclusionem contrariam praecedenti.

b) Ast S. Romana Rota, inde ab anno 1961, huiusmodi quaestionem denuo directo examini subiecerat (ut ex infra dicendis patebit), confirmans doctrinam ab initio concorditer traditam. Ideo quaestio disceptationi adhuc manet aperta.

Inprimis, enim, difficulter concipi potest quod causa de hereditate instauretur in foro Ecclesiae, attenta statuitione can. 1961 et can. 1016.

Quod vero nexus existat inter hereditatem vel legitimitatem filiorum et valorem matrimonii, evidens appareat (cfr. OSTIENSIS, *Lectura in Decretales*, Venetiis, 1581: ad c. 11, X, IV, 17). «In huiusmodi casibus, quando magistratus civilis suspendit causam principalis exspectans definitionem Ecclesiae quoad valorem matrimonii, si Iudex canonicus renueret causam nullitatis cognoscere, haberetur conflictus negativus competentiae, et causa principalis perpetuo suspensa maneret.

Non potest enim admitti quod quidam civiles iuristae autumant (cfr. Jemolo, *Il matrimonio*, in: «VASSALLI, *Trattato di Diritto Civile*», Utet,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Torino, 1950, 293), nempe recusationem iudicij ex parte Ecclesiae prorogare iurisdictionem civilem etiam ad videndum de validitate matrimonii.

Concludendum, ideo, est causam principalem, «in qua causa nullitatis matrimonii inseritur uti incidentalis, agitari posse quoque coram civili magistratu» (S.R. Rotae *Decisiones*, Vol. LIII, 1961, Dec. 14 iulii 1961, c. Sabattani, 382).

c) *Sed nec requiritur processus proprie iudiciarius: sufficit etiam controversia administrativa civilis.*

Exemplum rem elucidabit. Viget hodie praesens casus: Titius uxoratus aliud matrimonium init in facie Ecclesiae, Ecclesiam decipiendo: ambo matrimonia ad civiles effectus transcripta sunt; dein Titius mortuus est. Nunc duo mulieres, quae pariter se declarant viduas defuncti, petunt a civili auctoritate administrativa pensionem reversibilem defuncti. Supremum Consilium publico administrando aerario praepositum expectat rem per Ecclesiam clarificari.

. C) *An requirantur iustae causae ad accusationem incidentalem matrimonii. ‘Graves causae’ exiguntur ab art. 222 ad causam nullitatis prosequendam: ideo, a fortiori, ad eandem causam post solutum matrimonium primitus suscitandam. Hoc dicunt auctores.*

Ast casus accusationis incidentalis speciem sat diversam habet, ob suam continentiam in causa principali. Sane, ad causam incidentalem in genere proponendam, nulla ratio extrinseca requiritur praeter solidum nexum et intrinsecam cohaerentiam causae incidentalis cum principali (can. 1839). Contrarium obtinet in prosecutione instantiae interruptae, ubi, ad solidandum substitutum cum parte praecedenti nunc demortua, probandum est eius interesse, quod necessario est praeter finem actionis, seu extrinsecus manet.

Valde incongruum, ideo, est quaerere de iustis causis accusationis incidentalis. Aptius ad hunc finem, conspici debet causa principalis, quae nata erit intra seipsam legitime gignere accusationem matrimonii, si ordinetur ad praeiudicium tollendum de nullitate alterius matrimonii, seu ad vitandum periculum peccati, vel ad statum alicuius viventis personae redintegrandum, praesertim per legitimationem, vel denique ad hereditatem consequendam, quae datur ob statum personae vel restitutum vel saltem authentice declaratum » (S.R.Rota, *ibid*, 383).

9. *De remedio extraordinario restitutionis in integrum*

a) Impugnatio quae affertur contra decretum S. Romanae Rotae, confirmans praecedentem decisionem eiusdem Apostolici Tribunalis, ab ipsa lege vocatur «extraordinaria» (can. 1905, §1), quia «exorbitans a lege communi, quae vult firmam et ratam manere rem iudicatam...; quocirca remedium rei iudicatae labefactandae, quamvis legitimis de causis ordinatum, tamen est iuridice odiosum et stricte interpretandum... Aperte significant hanc esse legis mentem ea verba: «de *evidenti* iniustitia... manifesto constet...». Quare... *evidens* debet esse *iniustitia quia manifesto constet* continere unum ex quattuor vitiis determinatis in lege...» (LEGABARTOCCETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, Romae, 1950, Vol. III, 34-35.

b) Quoad caput adductum ad restitutionem in integrum petendam in casu, seu «legis praescriptum evidenter neglectum» (can. 1905, §2, n. 4), adnotandum est: «Evidenter intelligitur haberi neglectus, quoties hic resultat non ex subtilibus et nimis longius quaesitis rationibus, aut ex privatis non communiter probatis opinionibus, sed ex iurisprudentia et probatorum interpretum doctrina» (*ibid.*, 40-41).

c) Non praepropere, ideo, nec obvie et expedite cogitet quis sibi deberi restitutionem in integrum. Nam res iudicata - contra quam militat huiusmodi restitutio - «praesumptione iuris et de iure habetur vera et iusta» (can. 1904, §1).

III. IN FACTO

10. *S. Romana Rota, admittens neptem, eandemque heredem actoris, demortui post sententiam primi gradus, ad prosecutionem causae, nullum legis praescriptum neglexit*

A) Sane, relate ad personas quae supra (In iure, n. 7) indicatae fuerunt tamquam ius habentes ad seipsas substituendas parti demortuae in relatione processuali, recognoscendum est:

a) D.nam XX, neptem actoris defuncti, ab eodem vi testamenti, paulo ante mortem redacti, constitutam esse «unica erede, salva ogni legittima legge» (cfr. supra: n. 7, a);

b) relate ad eandem XX haberi quoque correlationem inter possibilitatem pleniorum hereditatem consequendi et declarationem nullitatis matrimonii iam petitam ab eius dante causam et de facto in prima instantia iam pronuntiatam (cfr. supra: n. 7, b).

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Nam, si in altera quoque instantia prodierit declaratio nullitatis coniugii, pars conventa amitteret statum «viduae» defuncti actoris et haeres posset excipere requisitum bonae fidei eiusdem mulieris in contrahendo, sibi vindicando, non tantum dimidiā partem, sed totam hereditatem.

B) Ideo acceptari nequeunt quae in discussione scripta sunt, nempe: «Deest in casu nexus seu relatio necessaria et intrinseca inter declarationem nullitatis matrimonii X - Y, et hereditatem a D.na XX consequendam; nam ius ad hereditatem... nullo modo pendet a nullitate matrimonii, sed pendet, a testamento olographo actoris defuncti... Si vero qualit  di erede significat in mente Patroni *quantitatem hereditatis*, ageretur de effectu mere civili et mere materiali, qui ad iudicem ecclesiasticum non pertinet, quique regulatur et regitur iure civili italicō».

Contra hanc thesim animadverti debet quod iudex ecclesiasticus nullo modo autmat procedere ad divisionem bonorum defuncti. Attamen quia testator causam nullitatis sui matrimonii proposuit et sententiam sibi favorabilem obtinuit, congruit ut, herede petente, definitive cognoscatur utrum eius matrimonium nullum, vel minus, haberi debeat.

Hoc edicens, iudex Ecclesiae nullo modo decernit «de effectu mere civili et mere materiali», sed de valore sacramenti etiamsi huiusmodi pronuntiatio consecaria in foro quoque civili consequi possit.

11. *Alterum quoque titulum habebat S. Romana Rota ad admittendam eandem neptem ad causae prosecutionem, nempe suspensio causae civilis de hereditate, usque dum Ecclesia definitive iudicaret de nullitate matrimonii*

a) Haec circumstantia relata est in decreto S.Romanae Rotae diei 7 decembris 1979, quod hic impugnatur, his verbis: «factum asseritur a parte actrice, neque denegatur a conventae patrono».

Eadem circumstantia admittitur a Rev.mo Votante, qui tamen declarat: quod penes rei publicae Tribunal suspensa maneat causa de divisione hereditatis quousque lata non fuerit decisio in causa nullitatis, mihi non videtur gravis.

Ast, in hac sede - in qua tantummodo agitur de restitutione in integrum concedenda vel minus - iudicium ita expressum circa gravitatem vel minus argumenti adducti a S.R. Rota non valet, quia, ad finem intentum, demonstrandus esset neglectus - et quidem evidens - alicuius legis praescripti ad concedendum petitum extraordinarium iuris remedium.

b) Attentis iis quae supra sunt statuta (In Iure, n. 9) circa «praesumptionem iuris et de iure», qua res iudicata habetur vera et iusta, intelligi nequit

quomodo gravitas tributa vel denegata alicui argumento causam det restitutioni in integrum. Si ita foret, reformatio cuiuslibet sententiae in sede appellationis titulum daret ad restitutionem in integrum: quod est absurdum.

12. *Quae, contra, adducitur decisio Signaturae Apostolicae non est ad rem: immo favet decisioni S.Romanae Rotae, quae hic impugnatur*

a) Idem Votans, ad suam thesim sustinendam, adducit quamdam decisionem Supremi Tribunalis (quin tamen alleget diem eiusdem pronuntiationis) quae edita fuit a J. TORRE (*Processus matrimonialis*, Neapoli, 1956, 482)».

b) Ast, ex plena lectura huius allegationis in textu citato, dignoscitur, in casu relato, rationem, ob quam Tribunal S. R. Rotae recognoverat heredibus defunctae actricis ius ad prosecutionem causae, unice consistere in «tuitione bonae famae actricis, pervicaciter laesae a viro convento».

Signatura Apostolica ideo merito animadvertisit: «in casu haud necessaria est sententia nullitatis matrimonii ad tuitionem bonae famae mulieris defunctae, quinimmo insufficiens est, nec apta ad solvendas quaestiones circa praedictam laesionem» (apud TORRE, *ibid.*).

c) E contra, in eadem decisione huius Supremi Tribunalis, declaratur: «ius prosequendi processum nullitatis matrimonii, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis, tantum competit ad effectus legitimos ex nullitate vinculi consequendos, qui dependere debeant exclusive a nullitate ipsius vinculi et tantum possint consequi vi sententiae quae praefatam nullitatem declaret» (apud TORRE, *ibid.*).

d) In casu effectus consecutionis totius hereditatis viri actoris ex parte eius neptis dependet exclusive a nullitate matrimonii, quod ab ipso viro impugnatum fuit, et quidem favorabiliter, cum ipso adhuc vivente, prodierit sententia affirmativa.

e) Unde animadvertis debet quod allata decisio Signaturae Apostolicae militat contra thesim Rev.mi Votantis.

13. *Restitutio in integrum, ideo, aptari nequit casui proposito*

Si elementa circa factum, nunc diffuse relata, supponantur illi peculiari telae iudiciaiae, quam praesefert restitutio in integrum (cfr. supra: In lure, n. 9), illico apparebit casum, Supremo Tribunali propositum, excidere de tali processuali forme.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Nam duplex Rotale decretum, vi cuius heres demortui actoris admissa est ad prosecutionem causae, non potest accusari de evidenti iniustitia.

Motiva, quae contra rem iudicatam adducta sunt, possunt quidam respondere «subtilibus et nimis longius quaesitis rationibus, aut privatis, non communiter probatis, opinionibus» (cfr. supra, n. 9, b). Sed nullo modo eaedem rationes pertingere possunt ad evincendum gradum evidentis iniustitiae eo quod manifesto constet legis praescriptum fuisse neglectum.

14. De duobus dubiis concordatis simul examinandis

a) Signatura Apostolica potest ideo tuto procedere ad definitionem causae.

Adnotare tamen praestat in casu duo dubia concordata fuisse, in quibus alterum est priori subordinatum, quia antea quaeritur an recursus, a limine reiectus in Congressu, admitti beat ad disceptationem; dein vero respondendum est circa concessionem vel denegationem restitutionis in integrum.

b) Posset quis cogitare quod, in casu responsonis affirmativa ad prius dubium, quaestio de merito seu restitutionis in integrum, esset differenda ad ulteriorem Patrum conventum.

Ast haec difficultas praevisa fuit in sessione concordationis dubiorum et soluta in decreto eiusdem concordationis, a partibus acceptato. Nam in huiusmodi documento scriptum est: Etsi nunc tractandum esset solummodo de admittendo vel minus recursu partis conventae ad disceptationem coram Patribus Cardinalibus, tamen considerata ampla disceptatione iam peracta inter partes circa controversiae meritum, inter praesentes dubium concordatum est hac sub formula... », seu etiam de concedenda, vel minus, ipsa restitutione in integrum.

15. Quibus omnibus, tum in iure tum in facto mature perpensi, Collegium Em. morum Patrum Cardinalium, pro Tribunal sedens, una cum Pro-Praefecto, ac solum Deum pree oculis habens, Christi nomine invocato, circa proposita dubia respondendum censuit uti respondet:

1. Affirmative, seu admittendum esse ad disceptationem recursum patroni partis conventae»;

2. Eadem vero disceptatione iam amplissime peracta: Negative, seu concedendam non esse restitutionem in integrum, in casu».

IURISPRUDENTIA: PROT.N. 120280 CG

(Sign.ti)

Paulus Card. Bertoli
Silvius Card. Oddi
Humbertus Card. Mozzoni
Petrus Card. Palazzini
Conradus Card. Bafile
Josephus Card. Schröffer
Bernardinus Card. Gantin
Ernestus Card. Civardi
Ladislaus Card. Rubin
+ Aurelius Sabattani, *Pro-Praef. et Ponens*

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 10
ianuarii 1983.

NOTIFICETUR

+ Zenon GROCHOLEWSKI, Secr.

Vincentius CÁRCEL ORTÍ, Canc. Mod.
